

tulare et Orationale per annum pro Chori officio, Preces ad singulas Horas, Litaniae OO. SS. prolixus Ordo ad uisitandum siue unguendum infirmum oleo sancto, cum Precibus in exitu Animae. Hic porro hiat Codex, atque ex abrupto Lectiones quaedam et Evangelia notulis musicis instructa succedunt, et deinceps Commemorationes variorum Sanctorum, praecipue Hungariae Indigetum, quas etiam habes in Breviario Strigoniensi mandato Matbiae Regis a Michaele Ep. Milkoviensi in Ecclesia Strigoniensi in Pontificalibus Vicario ad imprimendum tradito circumspetto Theobaldo feger de kirchem librario a. 1484. f. absque loci mentione, ut in Monito praeuio dicitur. Theobaldum hunc alias Bibliopolam tantum Budensem novimus, unde hanc Editionem alicubi in Germania, et fortasse Norimbergae curaverit. Etiam huic Editioni Obitus quidam praemissi sunt, et quidem nomen supra adducti Nicolai de Themaswar solis literis DD. exprimitur; mors vero Johannis Archiep. non ad 8. sed ad 9. diem Augusti ponitur. Exemplum hujus Breviarii Bibliotheca Palat. conditum feruat.

## DCCCLXXI.

R. 29 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 380. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricisque distinctus, sed injuria temporum inclementer habitus sacrum Chori Officium siue Brevia-

rium exhibet, quod rursus ad Ecclesiam Metrop. Strigoniensem refero cum ob Divos Hungariae indigetes in praeuio Calendario miniatos, tum ob duplicem notam eidem manu Sec. XV. adjectam. Legitur nempe ad diem 1. Febr. Obitus Revmi in christo patris et domini, domini dyonisi de zecz Cardinal. legati et Archiep. Strig. Anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LX<sup>mo</sup> quinto. et ad diem 20. Hic obiit dominus demetrius Cardinalis Strigiens. Anno do M. CCC<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup>. VII<sup>mo</sup>. Id, quod dirimit dubia a Nic. Schmittb in Archiepp. Strigon. P. I. p. 210. relicta, confirmatque adfertum amicissimi Prayi Hierarch. Hung. P. I. p. 171. Sedem Strigon. a. 1387. vacasse Dominica Ramispalmarum. Ad diem 8. Aug. etiam in hoc exemplo notatur Adventus sanguinis christi, non tamen minio. Ceterum nihil habet singulare, nisi quod praemissa fit Institutio chronologica de ordinando tempore ecclesiastico, quod in pluribus ejusmodi Codicibus liturgicis observatum videmus.

## DCCCLXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 334<sup>2</sup> XIV. Folior. 351. 8. min. per duas columnas crassiuscule, et densius exaratus, coloribus illustratus usque satis tritus Breviarium est ad ritum ordinis S. Benedicti, quod nihil peculiare praefert, nisi quod inspectis Festis, et Sanctorum, qui fol. 67. p. 2. in Litanis invocantur, nominibus, Adalberti, Stanislai, Viti, Wenceslai, Sigismundi,